

6 complexionibus. & Aristo. de Anima, in tract. de olfatu, & est in text. cō. 9. 4. Amplius, quomodo naturalis resoluatur usque ad primam materiam si habet formam corporeitatis sibi coeternam, nam nulla uia potest cognosci compositionis ex materia, & forma, nisi per transmutationem substantialem, ut inquit Cōmen. 1. Phis. cō. 5. 1. inquit, alteratio contrariorum inuicem coegit omnes credere quod omnia corpora sunt composita non simplicia, & quod in eis sunt aliqua plura uno, & maxime prima corpora, scilicet quatuor elementa. In talibus sicut ipse testatur 4. Phis. com. 71. & 8. Phis. cō. 3. 0. & 4. C. celi. 22. non est nisi prima materia, & forma elementi, & ideo non diuiduntur in partem per se motam, & mouetem, & propter hoc si in uacuo poneretur non possent moueri, & 12. Meta. cō. 1. 4. expresse habet quod materia non habet aliquam formam cōmuniem, & ideo dicit quod non est genus, & dixit Alexand. scripsisse demonstratiue materiam non esse genus. Amplius autem quomodo Aristo. solus uidit naturam primam materiam, & Plato fuit propinquus, sed non perfecte attingit, quia non distinguit inter ipsam, & priuationem, ut dicitur. 1. Phis. text. cō. 7. 7. Manifestum est enim quod antiqui posuerunt unum principium corporale omnium, & multi fuerunt, qui illud non specificauerunt aliqua forma & contrarietate, sed dixerunt illud esse separabile, quorum opinio expresse damnat Arist. in principio secundi de Generatione & corruptione, in text. cō. 2. & 3. ubi inquit, sed facientes quidem nam materiam extra prædicta, hanc autem separabilem, & corpoream, peccant impossibile enim sine contrarietate esse corpus hoc sensibile, aut enim leue, aut graue, aut calidum, aut frigidum, necesse esse infinitum hoc quod quidam dicunt esse principium, patet autem quod pro tanto illud infinitum assereret, ut bene notauit Aegidius Roma. ibi quia posuit ratum illud non habere formam aliquam specialem, sed generalem. Amplius error istius opinionis deprehenditur ex his quæ Aristo. docuit primo de Generatione & corruptione, ubi docuit generationem esse transmutationem totius in totum nulli sensibili remanente, ut subiecto. Manifestum est autem si materia informata corporeitate substantialis sibi coeterna, cum impossibile sit reperire corpus sine contrarietate, in mixtis generabilibus, remaneret igitur in corruptione simplicium aliquod sensibile subiectum, hoc autem falsum est, ut inquit Aristo. & etiam Cōmen. in. 3. C. celi. cō. 3. inquit, quod in talibus forma corruptur, & materia induit aliam formam, & immorari contra istos amplius in hoc est superfluum. Dicamus igitur quod per primam formam Auer. non intellexit formam aliquam naturalem, & à naturali considerabilem, sed intellexit Deum gloriosum, nã. 12. Meta. cō. 5. & 6. prima forma, primus motor, & primus finis, sunt idem subiecto, sed differunt secundum modum, & alias declarauit in contradictionibus Auer. qualiter in unoquoque genere cause est status, ut probatur in. 2. Primæ philosophiæ, & est deuenire ad primum in quolibet genere, & dixi quod licet Naturalis considerat omnes causas, non tamen considerat omnia prima causarum genera, sed tantum duo, uidelicet primam materiam, & primam mouens. Diuinus autem considerat duo reliqua, uidelicet, primum finem, & primam formam, unde. 7. Meta. inquit cō. 5. assignando differentiam inter inquisitionem quam facit Naturalis de principii substantiæ sensibilis, & inter inquisitionem quam facit Diuinus. Et ista quæstio differt ab illa quæ est in scientia naturali, quoniam ista quæstio inducit ad sciendum primam formam omnium entium, & ultimum finem, & prima quæstio, quæ incipit in scientia naturali inducit ad sciendum primam materiam, & formas naturales, & primum motorem, ubi loquitur in plurali numero de formis, & non dicit ad primam formam. Et mirum est de istis quæ prædicantur se esse doctiores Auer. & Arist. quomodo adhuc non habent terminos in uia istorum, uidentur quæso. Arist. hoc aperta uoce asserentem in fine primi libri de Phis. auscultatione ubi scribit, de principio quid secundum speciem utrum unum aut plura, aut quot, aut quæ sunt, per certitudinem Primæ philosophiæ opus est determinare, ergo in illud tempus apponatur. De

Phisicis autem & corruptibilibus speciebus in posterius demonstrandis dicemus. Nam quia in. 1. Phis. inuestigans principia generationis sensibilium substantiarum, iam determinauerat de prima materia posset quæsi opinari, quod ordo requirit, ut de prima forma pertractet, & ipse dicit istam considerationem pertinere ad Diuinum, sed Naturalis solum habet determinare de Phisicis & corruptibilibus speciebus, & hoc erat quod dixit Auer. in præfata autoritate, & etiã in eodẽ. 1. Phis. cō. 6. 9. in calore cõmentu inquit, quod entia habet aliud principium à subiecto, & est forma, sed primum principium in hoc genere non potuit sciri in hac scientia, sicut primum subiectum, ubi patet quod primum in genere causa formalis non potest sciri in scientia naturali, quod uerum non esset si prima forma esset corporeitas substantialis, & ista est opinio eius in. 3. Meta. in cō. 3. & 12. Meta. cō. 5. & 6. & fuit opinio etiam Alexandri, ut scribit ibi Cōmen. Sed hic est ardua difficultas, propter quid Naturalis sic considerat de prima materia, ita etiam non considerat de prima forma, & sicut considerat de primo motore, cur non considerat de primo fine. Et quod auget difficultatem est, quia si ista sunt eadem subiecto, & scientia, 3. de Anima. text. cō. 38. secatur quemadmodum & res, considerans igitur de primo mouente, uidetur posse considerare de prima forma, & de primo fine, & eõtra. & tanto magis augetur difficultas, quia tunc opinio Auer. iustabit in suo robore, dum dicit, primum Philosophum posse demonstrare primum principium esse, quia dicit quod non demonstrat ipsum esse in quantum est prima motor, sed alio modo, uidelicet, in quantum est prima forma, & primus finis, & ita ruunt rationes Auer. contra ipsum. 1. Phis. cō. ulti. & 12. Meta. cō. 5. & à talibus dubis (per uitam meam) non nisi solers ingenium euadere potest. Ad primum tamen uidetur respondere Cõmen. in. 7. Primæ philosophiæ. cō. 9. & inquit, quod illa ex quibus peruenitur ad cognitionem essentiarum rerum, ignoratæ sunt actiones earum propriæ, & actio materię est transmutatio, uult dicere quod naturalis habet medium ad ueniendum ad notitiam primæ materię, & tale medium est transmutatio substantialis. Non autem naturalis habet medium ad inuestigandum primam formam omnium entium. Sed replicabis, sicut est transmutatio cõmuni inuenta in generabilibus naturalis demonstrat esse primam materiam, quia transmutatio est actio materię, ut ipse dicit parti formiter est operatione quæ est actio formarum, poterit naturalis demonstrare esse primæ formæ. Ad hoc ipse respondet, quod est ratio diuersitatis. Nam formæ naturales non conueniunt in una actione propria, sicut generabilia conueniunt in transmutatione propter naturam materię in eis inuenta. Nam diuersarum formarum diuersæ sunt operationes, unde prima materia participat à generabilibus, & corruptilibus, & est intrinseca pars compositionis eorum. Non sic autem prima forma quæ liberata est ab omni materia, & ab omni potentia, & compositione, & componibilitate cili istis. Et ideo est operatio ipsarum sensibilium non potuit declarari primam formam esse. Et subdit quod illud quod fuit declaratum de illis, illic. s. in naturali Philosophia fuit, quod actiones formarum perueniunt ad actionem primæ materię, quæ non est in materia, & est primus motor. Pro quo debes scire quod formæ naturales dupliciter considerari possunt, uno modo, ut naturales sunt, uidelicet, ut sunt termini motus, & ut sic est actionibus ipsarum peruenit naturalis ad cognitionem primæ formæ quæ non est in materia sub ratione quæ est primus motor, non sub ratione quæ est prima forma, nam in. 8. Phis. ostenditur quod omne motum noui præcessit motus, & quod in mouentibus, & motis est deuenire ad unum motum esse sempiternum, quod mouetur à motore qui non est corpus, nec uirtus in corpore, ex hoc mouet sempiterno tempore, ut patet text. cō. 78. & 79. & ita naturalis ex cognitione formarum ex suis actionibus quæ dependet à primo motu, agnoscat primum motorem. Alio modo formæ naturales possunt considerari in quantum sunt substantiæ, & isto modo considerantur in scientia Diuina, & ex ista consideratione diuinus ascendit

Vera interpretatio.

Y

Optima
distributio.

L

Solutio.

Replia.

Solutio.

M

Formæ
naturales
dupliciter
considerari
possunt.